



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1602

9. Præcepta de locato, & conducto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14077

Non auferes pignoris loco viduae vestimentum. Et paulo superius: cum repetes à proximo tuo rem quam debet tibi, non ingredieris domum eius, vt pignus auferas: sed stabis foris, & ille tibi proferet quod habuerit: Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante solis occasum. His legibus cōceditur repetitio priorum bonorum: sed omnino interdicitur violentia, nam nisi repetitio priorum fieret, aleretur & foueretur otiosorum hominum nequitia, & exhaurirentur piorum & bonorum hominum facultates: quæ duo mala & incommoda ferre non debet magistratus.

Cap. IX.

P R A E C E P T A

De Locato, & Conducto.

Deuteronomij 24. & Leuitici 19. lex præcipit. Non negabis mercedem indigentis, vel pauperis tui, siue aduenæ qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est, sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante solis occasum: quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam, ne clanes contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.

Cap. X.

P R A E C E P T A

De deposito.

Exodi 20. lex continetur de rebus depositis. Si quis, inquit, proximo suo animal, videlicet asinum, bouem, vel agnum, vel quodcumque aliud iumentum custodiendum commendauerit, & mortuum fuerit, nimirum casu, aut debilitatum, aut captum ab hostibus id nemine vidente, solum iurare cogetur is, cui est animal commendatum se nullam in eo culpam admisisse, & ei iuranti, dominus rei depositæ fidem habebit. Quod si furto fuerit iumentum ablatum, reddet estimationem illius depositarius; quoniam tunc probabiliter credi poterat eum in culpa fuisse, quippe qui rem alienam depositam non ea fide & diligentia custodierit, qua suam. hæc enim furto surrepta non est, sicut illa, suo vitio & negligentia. Idem iuris erat, de auro, argento, vase, vel alia qualibet re apud proximum deposita.

Sequitur ibidem alia lex: Si iumentum depositum captum à bestia fuerit, dilaniatum, denotatumque, id depositarius alicuius testimonio probabit, & estimationem iumentum non restituet.

Cap. XI.

De præceptis, ad bella suscipienda & gerenda pertinentibus.

Deuteronomij 20. leges feruntur modum & rationem continentes, quo bella suscipi à Iudeis, & geri debebant. Illud igitur primum eis erat obseruandum; vt quamuis hostium potentiorum & copiosiorum exercitum viderent, nihil formidarent, & spem suam & fiduciam in Dei ope & auxilio firmè collocarent. Deinde, vt imminente iam bello, sacerdos accederet & loqueretur ad populum, hortans eum,

vt ne animo esset remisso & deiecto, nil metueret neque trepidaret: haud dubiè Deum in medio sui populi ac gentis affuturum, qui cum & ab hostibus eriperet, & omni periculo & malo liberaret. Postea, vt bellij ipsius duces ac præfecti populum alloquerentur, eique palam & aperte denuntiarent, vt qui domum nouam extruxerat, & non dedicauerat, hoc est, in ea nondum habitare cœperat, rediret ad domum suam: & qui vineam plantauerat, & nondum fecerat eam communem; hoc est, nondum vindemiauerat eam, nondum fructibus eius vesci, vt, & gaudere cœperat (siquidem ante quintum annum fas non erat vti fructu cuiusvis rei plantare, vt patet ex Leuitici capite 19. Vnde cū incipiebat frui ea re dominus, dicebatur res fieri communis) ad domum suam reuenteretur. Et qui sibi vxorem desponderat, & nondum acceperat eam, hoc est, nondum eam in domum suam deduxerat, rediret ad suos. nimirum hi omnes demittebantur vt ad bellum inepti, aut saltem vt minus idonei, quia earum rerum studio & amore tenebantur, ac proinde belli ac mortis pericula pertimescere solebant; armis depositis sese fuga proriebant, ne res, quarum amore capti erant, amitterent. Item, vt qui timido ac paulo animo erant, reuenterentur in patriam, veluti ad bellum inepti; hi enim belli pericula fugiunt, pugnam recusant, cæteros suo exemplo ad fugam inuitant, hostibus animos addunt, tandem illis iter ad victoriam sternunt.

His prædictis, lex præcipit, vt duces aciem instruant cum hoste pugnaturi; & cum accesserint ad ciuitatem oppugnandam, pacem primum offerant per legatos & nuncios, hoc est, eam ad deditionem inuitent: quam pacem si voluerit, omnis populus, qui in ea inuentus fuerit, seruetur, ita vt sit tributarius: at si noluerit, hoc est, deditionem recusauerit, oppugnetur, obsideatur, quatandem Dei auxilio capta, occidentur omnes masculi, quippe qui probabiliter creduntur arma cepisse & pugnasse contra populum Dei, præcatur tamen foeminae & pueri tamquam innocentibus, & iumentis in ea inuentis, vt potè quæ vobis vsui & commodo esse poterunt: & omnia spolia diuidantur in milites, tamquam bona communia ipsorum labore, industria, opera, & virtute parata. Hæc præcipiebat lex, vt fierent in ijs ciuitatibus; quæ plurimum distabant à Iudeis. At de ijs, inquit, ciuitatibus, quæ dabantur tibi, hoc est, quæ sunt eorum populorum, quos tibi Deus dedit in hereditatem, nullum sues viuere; nimirum ex Hethæis, Ammorhæis, Chananæis, Gergesæis, Heuæis, Pherezæis, Iebusæis, hos nimirum populos bello victos iubebat lex necari, quoniam & eorum delicta graua & atrocia sic Deus eos puniebat, tum quòd in medio Hebræorum habitantes, capitali Hebræorum odio nunquam erant carituri, sed tamquam sudes in eorum oculis futuri. Præcipit quoque lex, vt cum Iudei ciuitatem multo tempore obsederint, arbores pomiferas non succidant, quia seruiunt victui hominis: incidant arbores siluestres, ex quibus extrui possunt propugnacula, ac machinæ bellicæ.